

res, nec non magis necessariae. At si minuta lumine uel sub radijs solis extiterit, eas faciet magis esse absconditas, & non ut ita fortiter contingant, operabitur. Iuuat etiam utcumque in his quae praedicta sunt, Sol iterum cum stellaris, quae dispositioni animae dominantur similis existat. Nam cum eis assimilatur si eius qualitas commendatur erunt animae qualitates magis directae & ipse remotior ab obliquo, necnon potentior & largior atque fidelior legisque melioris. Cum autem Sol in praedicti contrarium fuerit, nec stellae assimilatur, erunt animae qualitates deteriores, ipseque miserior ac infimus, maiorisque laboris, in sui ipsius consilio magis permanebit, stultus erit & grauioris uoluntatis, generaliter etiam ad meliorandum difficilis.

De impedimentis animae. Cap. XIII.

**Q**uoniam impedimentorum animae propriorum elocutiones narrationem proprietatum eiusdem utcumque sequuntur, in ipsorum noticiam Mercuriales ac Lunares qualitates ad inuicem, & eorum ad angulos atque infortunatrices stellas nobis generaliter & scire, & obseruare conuenit. Nam cum Luna & Mercurius ad inuicem non colligantur, uel cum qualibet stellarum quarum qualitates impediunt in orientali horizonte, super eos eleuetur, aut eos circumdet, uel in eorum oppositione maneant, multorum impedimenta modorum animae qualitatibus aduenire significabunt. Hoc quidem ex praedictis proprijs qualitatibus stellarum quae locis assimilantur cognoscere & explanare satis apte poterimus. Nos aut in his quae in demonstrando proprietates animae praemisimus, plurima impedimenta ex impedimentis debilioribus animae utcumque iterum explanauimus & fortassis earum augmentationes ac fortitudines ex superabundantia operum stellarum infortunantium deprehendemus. Propterea quod si quis animae qualitates coerceri nequeunt impedimenta nuncupauerit, siue intendantur, siue remittantur circa qualitatem temperatam, eas bene & propriae nominabit. Illud autem quod minus super abundat & uelut infirmitas est, & quod omnino naturam excedit ac in parte intellectus animae sit, & in parte recipiente impressionem sicut dicam deprehendetur. Epilentici itaque sunt frequentius hi in quorum natiuitatibus Luna & Mercurius, nec ad inuicem uelut praediximus, nec cum orientali horizonte colligantur. Et cum hoc etiam in earum diurnis natiuitatibus Saturnus, in nocturnis uero Mars fuerit in angulis, ita quod tamen ipse huic qualitati dominetur. Insani uero sunt hi in quibus hoc erit in eorum contrarium quae praediximus. id est qualitatis dominus sit in nocte Saturnus, in die uero Mars. Maxime autem cum in Cancro uel in Virgine seu Piscibus fuerit. Demoniaci quidem, & qui nuncupantur aurostafel, id est in quorum capitibus superabundat humiditas, sunt hi in quorum natiuitatibus infortunatarum qualitas quemadmodum diximus extiterit, & ipse dominatae fuerint Lunae, ipsa quoque Luna fuerit ascendens sub Solis radijs eiusque dominus in conjunctione Saturnus extiterit, in praeventione uero Mars, maxime autem in Sagittario & Piscibus, quod si utraeque tantum infortunae hac in qualitate uicerint, erunt animae infirmitates incurabiles, non